



Sammelband

ChB

3 a



LVCVLENTVM.

DE SACRO
SANCTA DOMI
ni nostri Iesu Christi coena
Odarion.

*SVBIECTA EST EIVS-
dem argumenti, & rarioris texturae ele-
gia modesta, & concinna Berenga-
riorum nebulas discutens.*

Industria & labore.

IOHANNIS FRAXINEI
Tyrigenae, Poetae Coronati
Caesarei.



MAGDEBVRGI
Excudebat Andreas Duncker,
M. D. XC VII.

62368



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a formal document or letter.



PER ANTIQVA ET GE-
NEROSA ALVENSLEVIORVM

gente oriundo D. Gebhardo Ludolphi ab Aluens-
leuen Fil: Eq: Saxoni Nobiliss: Fortissimoq:

Domino in Hundesburgo, Calba, &

Neuengatterscleuio &c. Do-

mino, & Mecenati. S.



Cerrimas aliquot nunc per annorum
interualla de S. S. D. IESV Christi
codicillo siue testamento velitationes
exstitisse, D. GEBHARDE ab Al-
uensleuen nobilissime, nondumque
contentionum, tumultuumque metam & finem ap-
parere toties expetitam, immò quod deplorandum
omniò dueimus, controuersiam cotidie recrude-
scere, maioribusque contentionibus, quam antea
nunquam factum, agitatumve, lucubrationum copia
& in deturbandis imaginibus infaniendi libidine
concitata, instaurari in uetusta Soraborum regione,
nulli piorum, cui diuina illa, & admiranda per im-
mortale Germaniæ lumen D. Martinum Lutherum
Theologorum facile principem, religionis facta in-
stauratio, est cordi, ignotum atq; obscurum esse arbi-
tror. Quorum inquam certaminum litiumq; soli-
dam & exploratam habere notitiam, non postre-
mam, sub intempesta seculi nunc in deterius ruentis

nocte, quâ vitiorum turpitudini præmia constitui,
probitati verò cum virtute ut est apud Poëtam al-
gendum, & exsulandum cum dolore conquerimus,
felicitatis cuiusdam creditur & iudicatur argumen-
tum. Tota siquidem laboriosa nouorum Berenga-
riorum contentio certissimam hinc traxisse videtur
originem, quod in horum animis maior gloriæ cu-
piditas, quàm Dei timor, vel amor perspiciatur, ut
est apud Diuum August. lib. 5. de ciuit. Dei cap. 14.
Quamobrem nemo tantopere miretur, quod auda-
cis, petulantisque ingenij homines passim nunc in-
veniantur, plurius rationis acumen, quàm Spiritus S.
veritatem, Maiestatemque; suspicientes. Illud enim
studiosè cavent, ne cum in Rebus publ. nobilissimis
tùm regijs scholis delitescentes semetipsos prodant,
sed foro, quantum in ipsis est, & tempore utantur.
Sic versipelles isti Davi posteaquam nuda & sim-
plicia testatoris Domini nostri IESV CHRISTI
verba cum argutulæ rationis libramento conse-
rendo, monstrosa planè & absurda perverso ex suo
ingenio demetiantur, & iudicent, posthabitis
sacrofanctæ Maiestatis Oraculis, dilucidè sanè
mentem, sententiamque exprimentibus, contra
præceptoris & Choragi ipsorum Theodori Bezzæ
præscriptum, voluntatemque epistola 5. absur-
dum existimantis Christi verba de fructu & virtu-
te mortis Christi interpretari velle, quandoqui-
dem voces (quod pro vobis datur) necessario huc
NOS

nos adigant, ut de ipsamet corporis substantia intelligere cogamur; ad fumosa opinionum somnia scientes, volentesque delabuntur, & totum digladiationum suarum præsidium, atque firmamentum in duabus vocibus, copulatiua nempe particula EST, & prædicato corpus male intellectis, detortisque in mille quasi formas, habent repositum. Repeto adhuc semel, in duobus inquam hisce vocabulis, lubrico atque variabili habitu dotandis, flexibilesque cothurnos coaptandis, omnem eruditionis, eloquentiæ, atque acuminis gloriolam vel potius nequitia palmam Berengariorum hætenus ostentauit familia. Melius autem homines isti, quicumque; pauonum instar gemmata (vt ita loquar) ingenij cauda tantopere confidunt, tam miserimæ IESV Christi Ecclesiæ in extremis nunc constitutæ periculis, quam conscientia famæque integritati consulere; si in propria D. Iesu Christi codicilli significatione atque sensu persisterent: & recuperatoris generis humani verba maiori in precio, quam hætenus fecere, haberent, ponderarent, atque obseruarent. Hac demum ratione dissentientium animorum exulcerario & distractio coalesceret, & peroptata illa totiens, quæ sub instauratæ religionis principio & feroore cumulatissimè se ostentabat, Theologorum coniunctio, firmiorem pedem figeret. Ecclesia denique post Babylonicam illam, velut ex ergastulo monstrosarum opinionum, vt

Diuus Lutherus ad oculum demonstrauit, emancu-
pata captiuitatem, veritatisque sole totam paullatim
Germaniam collustrante, renata, ad Pontificiorum
hydram innumeris propè errorum, sectarumque di-
stractam capitibus, feliciori successu Christo duce
atque auspice oppugnandam in harenam prosiliret
animosior. Verum hæreticorum antesignanus & Si-
gnifer Diabolus non feriatur, neque otatur; quin
callidiori imposturarum, præstigiarumque appara-
tu contra benedictum mulieris semen insurgendo,
ad mille se fraudes atq; insidias convertit: & id vnum
indefesso studio molitur, vt nucleum, & medullam e
sanctissimo filij Dei conuiuio, atq; regio epulo fur-
tim excipiat: nudaq; tantum & casta putamina hoc
est symbola corporis sanguinisque D. Iesu Christi
in remotissimam coelorum regionem quam longis-
simè relegati, vt falsissimum secta ista sibi persua-
sum habet, cum Christianorum irrisione relinquat:
sicque vivum animorum pabulum atque viaticum,
quo vere credentes vivificantur nutriuntur, & sagi-
nantur, prorsum intercipiat, & subtrahat. Contra
formidolosum istum atq; per tot secula exercitatum
adversarium, omnibus illis, D. Iesu Christi Impera-
toris ter Max. signum profitentibus depugnandum,
& militandum erat fortissimè: neque credentium vlli
committendum, stertendumve, vt amplissimus iste
divinarum rerum, coelestiumque opum thesaurus in
sanctissimo hoc epulo contritis tantum animis de-
stinatus

stinatus adimeretur; vel immortalia vna filij Dei beneficia atque merita, immerita morte atque sanguine recuperata, nobisq; in mystico hocce conuiuio in animorum confirmationem, & salutare nutrimentum apparatus, penitus surriperentur. Sed vbi nunc emeriti & veterani milites habentur? vbinam locorum animosi inueniuntur Theologi? & quali rerum diuinarum apparatus instructi? Illine, qui provinciales (quod nunquam superioribus annis in patria auditum) saluari dicique gaudent Ecclesiarum scholarumque inspectores? & se primos rerum omnium designari, & a pedarijs suis coli, inque caelos usque extolli pro semideis volunt, nouis aucupijs dignitatem, vel potius ministerium amplificantes? Nullo modo hosce vigiles in acclamandis lupis canes, vti requirebatur, immo mutos, pinguesq; Molossos in tam nobili militia, atque acie, vbi de veritate & animarum salute concertandum erat, beato quasi delibutos otio, cuticulamque triticea cereuisia suauissima curantes, conspeximus, nundinales dico coquos passim ad Horselum, & citra meritum ad Christi seruitium, non dignitatis fastigium, vt Pontificum se more jactitant, nullo cum patriæ emolumento subiectos animaduertimus. Quorum omnis cura atque sollicitudo in nundinationibus munerum, ventrisque sagina amplissima exquirenda fuit occupata. Praeclaros itaque rerum diuinarum magistros, qui ex sanctissimo immortalis Germaniæ

Do.

Doctotis & vatis collegio prodiere, proh Deum
amissimus. Habuimus dico illos, & nunc demum nos
decies Phryges, superiorum temporum felicitatem
animo recolentes, serò nimis, vtinam serio impen-
dentem calamitatem, barbariemque lamentari inci-
pimus. Quin omnis cogitationum nostrarum
cura erat suscipienda, & vnicuique Christianæ rei-
pub. ciuium elaborandum maxime, quomodo præ-
clara illa inuenta atque monimenta à Diuo Luthero
relicta, retineremus & amplificaremus. Non n. mi-
noris virtutis esse censetur, cœlestium rerum depose-
tum tueri, quàm religionis thesaurum acquirere. In-
terim magno nobis hoc sit solatio, quod boni ad-
huc viri subinde excitantur, qui laudabili conatu,
studijs, animisque benè de Ecclesia merendi in pu-
gnam descendentes, furiosum Berengariorum exa-
men intra Salam, Albimque nunc tumultuantium,
aggrediuntur, quorum lucubrationes & vigilias pro
D. Iesu Christi testamento susceptas, vt nullo modo
reijciendas existimo; sic laudatissimorum horum
militum industriam, studium, laboremque pluri-
mum commendandum, & exornandum censeo.
His & me quamuis halbutientem, & in tam ardua
palæstra minimè versatum, agitatumve annumerari
volo. Sed Palphuriorum scabiosorum, sciolorumque
quispiam reconditæ sapientiæ cuiusdam, legumque
montes parturientium obiecturus mihi, quænam
necessitas, vel causa ad scribendum impulerit, quan-
doqui-

doquidem Poëseos nobilissimæ scientiæ, non S.
Theologiæ me consecrauerim, addixerimve profes-
sioni? His sapientulis & albæ cuiusdam gallinæ filio
ad Izzium nunc, citra meritum dominatu semet
ostentanti, cui poëtarum Aristarcho subtilissimo
Venusini illud nō videbar didicisse, Et prodesse vo-
lunt, & delectare poëtæ; breuiter responsum volo.
Quale munus, dignitatemque antiquiores apud
Romanos poëtæ iustinuerint, vel vnus Horatij
versus in epistola ad Augustum Cæsarem admodum
graues loquuntur, cum ita canit.

Os tenerum pueri, &c. cum sequentibus, usque ad v.
Disceret vnde preces, vatem ni Musa dedisset?

Hinc, si qui saniorum & castorum exstiterè poëta-
rum, quibus diuinius (vt ita loquar) ad ludendum
carmen contigit ingenium, vel in eo desudasse con-
stat maxime; vt ostensa morum turpitudine silue-
strium hominum animos eleganti numerorum cō-
cinnitate ad meliorem frugem traducerent. Quare
& solertem illam adhibuere prudentiam; ne subti-
lioris Philosophiæ mysteria è Patriarcharum decer-
pta Academijs, mobili vulgo, & in omnis generis
opiniones facili prostituerent: sed argutis fabula-
rum tectam involucris sapientiam, illis tantum re-
seruarent, qui vitijs jocisque posthabitis altius huma-
nis se exseruere. Quod si nunc antiquissimi illi, diui-
ni numinis ignari poëtæ in id soli incubuere, vt non
tām vtilium rerum vbertate atque copia prodesse

B

audito

auditoribus, quam numerosa sermonis elegantia & Venere ciues oblectarent: cur ipse melioribus infestens vestigijs in Dei Optimi ter max. honorem, laudemve, & adolescentum institutionem grauiores nonnullas & a vulgi captu remotas venustioribus numeris & ad genium sponte fluentibus materias adstrictas non proferrem? & in temporis nostri hæreticos nouam opinionum planè Chimeram cudentes atque conflantes calamum acuerem? Equidem Christianæ professionis dignitas à quolibet Christi membro religionis tuendæ videtur exposcere prouinciam. Nam cum Sacramenti maiestas & excellentia in sacris fluentis (loquor cum Diuo Augustino, cuius in voluminibus non hospes fui) a quouis conscriptorum ciuium præstiti summopere id vnum efflagitet, vel minimus, sacro coetu rege- nitorum iuramenti religione tenetur obligatus, det operam, caueatque, ne quid damni intaminata Domini nostri Iesu Christi capiat respublica: cur regium illud ius immunitatemque diuinitus in nouo partu meo concreditam, vnus vel alterius aulicæ muscæ ad Pomonã rugitu manibus extorqueri paterer? Etenim dum inter summorum Theologorum vellicationes, fatalemq; coniuictissimorum quom- dam amicorum distractionem, atque discidium, in liberali otio delitescere, patrumque aliquot excellen- tium lucubrationes perscrutari licuit: huic vni rei incubui & quantum in me fuit, præter Schulen- burgicum

burgicum opus 7. libris nunc distinctum illustratumque, classicos etiam religionis nostræ locos atque capita sanctissimo illo Spiritu illabente, castoque tantum poëtas agitante, & collustrante, grauioribus explicui numeris, & vnum volumen Sacrorum Hymnorum, Odarumque confeci.

Taceo nunc aliquot Orationes de triumpho D. IESV CHRISTI, de vaticinio S. Patriarchæ Iacobi, Genes: 49. de speculo peccatoris, librum de Deo adhærendo, orationem de illustrioribus Sacræ Triunitatis operibus verno tempore Ecclesiæ præstitis, de Spiritu Sancto opus, Methodicam Cœnæ Dominicæ explicationem, Psalmorum gradualium, & poenitentialium (vti vocant) paraphrases diversis carminum generibus tentatas. Agalmata denique in S. scripturam. Hunc fructuosum vti spero laborem, vigiliâq; nocte, eo fine sum aggressus, vt si qui essent (sunt autem quamplurimi) corvi, Sycophantæ, Momi, & Rhadamanthi in viuorum hominum existimationem, vitamque curiosius, quàm par erat, inquirentes, & ineptam de rebus malè intellectis censuram instituentes, virulentam horum linguam, & asininam vocem compescerem, tum vitæ meæ q. in tenebris, vt multis Criticis videtur, peractæ, rationem coram sanctissimâ Ecclesiâ redderem, atque re ipsâ demonstrarem. Nam cui mortalium talentum defossim & cælata tantum virtus profutura? Quò enim pluribus

ribus communicatur, tantò nobilior virtutis creditur vsus, atque excellentia. Proinde Sapphicum hocce Odarion cum elegia rarioris texturæ tam diu præmittere constitui; donec operosiores Odæ, lucubrationesque, quarum Dei beneficio non contemnenda supellex apud me habetur, in nullius sanè hominis odium, contemptumve modulatæ, publici fiant juris, & jamdiu exoptata luce perfruantur. Sint itaque, maneantque amici, quibus cum ob nobilissimam antiquissimamque poësin colui amicitiam. Quorum inquam excellentium virorum in humanioribus disciplinis scientiam, doctrinam, atque exercitationem demiror, & sanctè veneror: diuinior tamen sapientiam, paucis nunc cognitam exploratamque Sacrorum ostentatoribus, omnium mortalium auctoritati, vel si cum Mediolanensi Episcopo de constantia, vel gravitate, vel cum Hipponensi de ingenij contendant acumine, præferendam, longèque anteponendam existimo. Sit amicus Plato, sit amicus Socrates, vel si in vivis adhuc esset omnium mortalium sollertissimus Stagirita: coelestis potius veritatis amor, cui me, Spiritu Dei suadente atque trahente animum, mancupatum esse volo, præ totius orbis terrarum diuitijs delicijsque voluptatum, quibus Grylli nostri capiuntur, honorandus atque magni erit faciendus.

TIBI

TIBI vero D. GEBHARDE AL-
VENSLEVI generosissime lucubratiuncu-
am hancce de carnis Dominicæ in mystica hac
cœna, siue cœlesti conuiuio supra mortalium ca-
ptum posita præsentia, graui de causa placuit con-
secrare. A teneris namque vti dicitur vnguiculis in
grauissima sanctissimaque religione, quam per
Divum Lutherum accepimus, a nobilissimo sapi-
entissimoque parente D. Ludolpho, Brandenbur-
gensis quondam aulæ moderatore & præfecto im-
butus & institutus. Hanc eandem diuinitus ha-
ctenus contra tot insanientium hominum opinio-
nes conseruatam, defensamque doctrinam cum
purioris Ecclesiæ membris amplecteris, & quod
illustre Christiani putatur ornamentum, Luthe-
ranæ religioni, nunc pro ludibrio, risuque à Cin-
glianis nimis alta sapientibus expositæ, domicilium
& hospitium concedis. Quæ sane pietas Deo nos
similimos efficiens in te plurimum commendan-
da, & debita laude extollenda.

Ducem sanè virtutis huius Ioachimum habu-
isti patrum, virum in omni disciplinarum genere
clarissimum, & de Ecclesiastica historia, luminibus-
que aliquot cum D. Andrea Meiendorffo Saxoni-
cæ gentis in Archiepiscopa Parthenopolitana flo-
sculo atq; oculo certantè præclarè meritū: quorum
adhuc per ora virorū immortalia volitāt præconia &

B iij

post exse-

exsequias virentia. At nunc diuersa quorundam
in celsissimo dignitatis, honorumque gradu & fasti-
gio collocatorum, iudicia de religionis certaminibus
circumferuntur, & nonnunquam a pietatis, re-
ligionisque, cuius se defensores iactitant, professione
aliena: vt nihil iam dicam acerbius, quod nunc
omnia stent in præcipiti, & nullus ferè virtuti sit
locus relictus, immò pietati mendicæ instar ober-
ranti esuriendum, celsioris quidam mentis homi-
nes, quibus piaculum ducitur animam pro sale ha-
buisse, tacitò lamentantur. Atqui poenas hæc
ingratitude, contemtùve diuinioris illius sapien-
tiæ, quæ postremo hoc seculo Germanos cælo re-
spexit, jamdudum sumus promeriti. Neque in
animum inducamus, aureum Saturni seculum ad-
fulsurum denuò. Nullo modo. Floruimus, & pro
felicitate illâ, verbi nimirum illustratione tergum
Deo obvertimus. Hinc omnis generis poenas, & ca-
mitates, quales sunt infinitus propè morborum
exercitus, gentium populorumque vastationes, bel-
lorum incendia cum fame grassantia non sine dolo-
re experimur, quas nullo præsentiori remedio
quàm sanctissimis ad Deum Opt. supplicationi-
bus averti posse, certò nobis persuadeamus. Quod
autem ad aduersariorum attinet crocitationes, nihil
Tragicis horum calumnijs, & portentosis crimina-
tionibus, vel si totus terrarum orbis illis adsurgeret
commoueamur: verùm confessione conscientia
non

nonnunquam tacito verberè extortâ in illo
conversa, alacriori tantò præsidio nos armemus, &
ita statuamus, Deum Opt. ter. max. in nouo fœ-
dere & testamento cum apparentibus & sensui sub-
iectis Symbolis verè & substantialiter donare, offer-
re, & exhibere coram corpus & sacrosanctum su-
um sanguinem iuxta institutionis formam, modo
tamen supra mortalium acumen posito, nullique
peruestigando, nedum explicando. Libet n. Bezæ
ipsius verbis Tomo 1 rerum Theologicarum vti.

Disertè n. illic audimus, quid tantus sectæ
istius callidissimæ patronus & versutus Orator pro-
nunciauerit; vtinam sibi constaret, & non tam va-
rius ac mutabilis esset, quemadmodum Possiaci col-
loquij testantur acta. Constanter itaque & sanctè
profitemur, Sacramentalem vnionem, quâ cum
Symbolis latenti modo, res diuiniore & immorta-
les institutionis ex præscripto sociantur, & vere in
hoc mystico epulo tam in dignos quàm indignos
conferuntur & distribuuntur, omni bus modis reti-
nendam & amplectendam esse.

Quemadmodum & pronomen Hoc vtrum-
que monstrat; panem nempe & corpus: sed nobi-
lius tantùm denominatur, cuius perceptioni inser-
uit panis symbolum.

Similiter & de immortali ac vivifico sangui-
ne Filij Dei calicis factâ mentione iudicandum
existimo. Cuius inquam Dominici corporis, San-
guinis

guinisq; tanta est excellentia & amplitudo planè
diuina, vt non vnus secundum nos hominis cor-
pus credamus: sed potius tanquam proprium cor-
pus factum, & sanguinem omnia vivificantis verbo
quemadmodum communis, vt est apud Cyrillum
nobilissimum scriptorem, vivificare non potest Sed
de Dominici corporis generositate nullo modo
redimendorum carni conferendi, contra Pelagiano:
tàm novos, quàm veteres Christi carnem nostræ ad-
æquantes D. Augustinus contra duas epistolas Pe-
lagianorum & lib. 5. c. 9. contra Iulianum Pelag. disse-
ruit copiosius.

Postremo quod de localitate & circumscrip-
tione Dominici corporis obijciunt Berengarij, hac in re
sibi ipsi non constant: sicut videre est in Sonnij com-
mentarijs ad obscurandam potius, quam explicandã
Confessionem Augustanam elaboratis. Cuius inquam
Cingliani lubrica nulloq; veritatis nexu consolidata
somnia elegia nostra, nisi fallor, breuiter & false exce-
ptura & refutatura. Interim generose D. Gebharde ab
Alvensleue primam hancce velitationem nostrã poë-
tico donatam habitu, sereno volu accipe, donec Gal-
licinium ad Danubium quondam in Cinglianam
Strygem decantatum, aliasq; operosiores in Ecclesiæ
commodum & vsum apparatus lucubrationes diuulga-
uero, & qualiacumq; mea studia, atq; munera pro de-
fensione cœlestis veritatis suscepta, illustri fauore, hu-
manitate, & nobili patrocinio prosequi non defugias.
Benè Vale. Datæ Cal. Iunij ad Albim Anno 1597.

Nobil: equestremq; tuam

D. colens,

Eraxineus,

D: Sacr



DE SACROSAN-
CTA IESV CHRISTI
COENA ODARION.

VIm Sacramenti iuuat explicare,
Quæue sit substantia, quiue fructus
Pullulent ex hoc epulo, recludam
Carmine vates.

Spiritus tu mentem aperi canentis,
itis in tantæ involucris, facemque
Cardidam indulge mihi veritatis,
Nube fugata.

Nil loquar mortale, sed euehendo
Me parum à terra ingrediar recessus,
Spiritus teme mihi puriori
Offer in æthra,

Omnis heic sensus, ratioque cæca,
Ingeni & quidquid superest, facessant:
Tantum inhærendum est Domini potentis
Vocibus haustis

Fonte scripturæ: fideique nobis
Lumine in tantis opus eruendis
Rebus: heic ludibria fas opacæ
Linquere mentis.

C

Sola

Sola nos scriptura datura certos
Diua, quom voltus Domini Iehouæ, &
Missus è coelo radius, serenans
Pectora nostra.

Absque Scripturâ licitum haud reposta
Sensa, vel figmenta aliunde nobis
Ponere, vt fundamina: sola verbum
Lampas habetur.

Heic Sacramentalis enim vnionis
Vim sacram vates cuperem expedire:
Deficit verum sapientiæ vis
Hausta supernè.

Sed datur quantum, poterove, tantum
Ordinar: mysteria sunt, manebunt:
Nescit hæc arcana animus, nisi ipsum
Spiritus adslet.

Natus est nobis, datus & redemptor,
Virginis de carne homo, carnem adaptus
Integram, & puram scelerum, Deique
Numine foctus.

Vixit in mundo Deus ipse verus,
Occulit semetque habitu Iehoua
Corporis vili, famulusque dici
Maluit orbis.

Donec ætatem vegetam assequutus,
Per Palestinæ loca inambularet;
Tunc deum miracula prodidère
Grandia factu:

Lumen

Lumen expectatum, oculumque gentis
Arguit sese, domitorem & Orci:
Quem prophetarum chorus atque patrum

Antiqua corona
Iam diu venturum hominum in salutem,
Atque commune auxilium sereno
Spiritu impulsu cecinere: ficque

Apparuit orbi
Virginis semen teneræ expetitur,
Spiritus conceptum operatione:
Nocte sub brumæ media, in serenam

Prodiit auram.
Iamque ter denos ut habebat annos,
Vinctus ad Iordanis aquas sacerdos,
Desuper vox audita patris loquentis
Grande quid orbi.

Filius, quem vos homines videtis,
Corculum nostrum est, animi & voluptas:
Unicum hunc mando pater ut magistrum
Audiat orbis.

Spiritus nec defuit actioni
Tam sacrosanctæ, specie columbæ
In caput delapsus, & expiatum

Nunciat anni
Hunc sacerdotem, scelere obligatum
Totius mundi, novum & ordientem
Foedus in culpæ veniam, & malorum
Dulce piamentum.

• Sic nouus cum voce renunciatus
Doctor augustâ, cathedra è supremâ
Regium munus simul, & magistri
Coepit habenas.

Seque Messiam docuit Iehoua
Coelitus missum, & famulum, stupenda
Edidit miracula concionum
Illustria signa.

Tandem vt exactus sibi quem parentis
Legerat cursus pietas, amorque,
Terminum que instare, necem & parari
Sensit acerbam:

Maius orditur Deus, accubare
Iussit & senos duo secum alumnos,
Paschatos vescique epulo, ordinato
More parentis.

Nocte dico illâ, prius in nefandam
Quâm crucem sublatus homo, Deusque,
Idem ad augustas epulas reuersus
Foedera pangit,

Morte confirmanda sua, nouumque
Pactum init cum ciuibus, adserendum
Seculo quouis, vaga donec aureo

Sidera templo
Fulserint. sub pane meum (eloquuta hæc
Veritas) corpus sine labe edendum
Porrigo, quod victima cras litandum
Offero morti

Omni-

Omnia pro crimine, proque mundi
Sorte pendendum: simul ipse vino
Sanguinem unitum statuo, ordinoque

Ore bibendum,
Omnibus, quos tangit amor salutis,
Quos piget nostrum temerasse numen,
Et relegatos Erebo fatentur

Iure cremandos,
At rogas, quâ nam ratione semet
In cibum ac potum dare tunc valebat
Accubans mensæ Deus? audiatur

Afer acutus.
Ipse se diuis manibus ferebat,
Ipse onus tantique epuli magister
Hospes excepit socios verendâ

Corporis escâ.
Huncque seruari sine fine morem
Imperat, quocunque loco piorum
Cœtus ad tam diuum epulum Iehouæ

Voce coactus.
Regis obseruet modò sanctionem,
Quam semel fixit moribundus auctor.
Antequam infamæ crucis immolandum

Agnus in arâ.
Sic Deus quam proximus actione
Hac abest, præsens epulum & coronat
Regium, semetque cibum offerendum

Diuite coenâ.
C 3 Cor-

Corporis nam propria quæ negabunt,
Veritas supplet, cumulatque verbi:
Vnio fit mystica: symbolisque

Pignora dantur.

Corporis sic ore, mero repostus
Sanguis hauritur Domini, atque vtrimque
Postis adpersus nihil extimescet

Vindice dignum.

Nec tamen conuersio cogitanda
Panis in corpus, laticisue sacrum in
Sanguinem Christi, inuiolata signa

Nouimus ista.

Haud color vini perit, interitque
Panis hoc solemnepulo, necessum est
Adsit vtrimque, & simul vniantur

Voce Iehovæ

Res duæ diuersæ. aliàs vocari
Non Sacramentum poterit, nisi adsint
Hæc duo verbum, atque elementa: nemo

Separet ista

Inuicem à semet, ratione cedit
Altero cessante epuli instituti.
Dignitas, si verbum aberit, peribit

Omnis, honosque.

Vfus accedat modò verus idem.
Inquis hæc supra ingenium? fatebor,
Voce te Christi decet acquiescas

Vera loquentis.

Vnio

Vnio fit mystica, & efferenda
Nulli in hac vita: neque fas repostam
Altius scrutarier: exfulare heic

Omnia dicam

Quæ Dei infringunt, mutilantque pactum,
Seu fidem inuictam cohibent lupatis:
Sola vox heic imperium obtinendo

Diua triumphet.

Fallit, & nec fallitur ipse regum
Omnium ter maximus, optimusque:
Verba nec caliginis inuoluta

Nube premuntur.

Antè vel tellus citius dehiscat,
Antè vel puræ absiliant ab axe
Lampades, quàm cassa fide audiantur

Verba iubentis.

Plana sunt, expressaque: præualetque
Ampla maiestas, super hæcque rerum
Ordinem excedens, opera administrat

Inuia nobis.

Efficit vi cunctipotente verbi,
Præstat, & quodcumque facit, reapse,
Nuda nec sunt signa, sed inuoluta

Grandia nobis

Applicant mysteria: nempe verum
Corpus, & Christi roseum cruorem:
Tanta vis verbi, duo disparata

Infibulat, vnum

Fit Sa

Fit Sacramentum, duo copulante
Voce tam diuersa Dei vocantis:
Et simul conjuncta manent in usu hæc
Mystica dona.

Quæris ut possint fieri ista? Christo
Sunt modi centum, quibus ipse pollet,
Quod semel promisit, & ipse dixit
Ore rotundo.

Tempus haud illum, loca vel morantur.
Conditor supra ingenium administrat
Omnia humanum: neque scire fas
Arcana Iehouæ.

Exhibent vna veneranda nobis
Symbola, argumentaque res in usu,
Tempore & certo sociata perstant
Integra ad usum.

Namque quod mens altius hauriendo
Cernit, argumenta dabunt, ferentque
Ore, & interno fidei fruenda
Lumine tota.

Integrum sub pane igitur sacrato
Corpus offertur, sacer atque sanguis
Poculo. mirarier heicque cessa
Calue Sophista,

Quisquis es. nam regula certa constat,
Symbolum si cernimus ordinatum,
Cogita rerum quoque veritatem
Semper adesse.

San-

Sancit hoc totum Domini voluntas
Libera : hæc quodcunque facit, probatur :
Solus & Christus sapiens, catusque
Novit i' l' omne.

Corporis sed quæ ratio, laborant
Anxij perquirere, corpus ipsum
Par fuit primo genitori Adamo
Numen habenti.

Antè quam dico rueret, Deumque
Sperneret contemtor, erat per omnia
Sanctus, & carni simile hocce nostræ
Pagina firmat

Diva cum discrimine. namque nostra
Est caro culpæ, viciatà ab ipsâ
Ducta cum radice libidinolo
Semine patrum.

Dignior Christi caro, gloriosa
Prævalet mortalium in universum
Carni, adæquare huic Domini execrandum
Crimen habetur.

Hæc caro concepta satum sine ullo
Spiritu formante, libidinosus
Nullus accessit furor, absque tactu
Foeta puella.

Mater & virgo simul una mansit
Regia, & nullum simile huic daturus :
Massa quin selecta Dei latentem
Acceptat honorem.

D

In

In que personæ sociata nexum
Venit, atque unum (veneremur ista)
Facta subsistens, Deus idem, homoque
Creditor una.

Sic caro sublimior hæc Iehovæ
Vitam habet, longè superat caducam, &
Lucis expertem: super omne cœlum
Evecta triumphat.

Dividi nunquam valet à Iehovæ
Incluto nexu, manet unionis
Fœdus æternum: manet atque eandem
Gloria carnem.

Dignitas par, & colitur, stupentque
Angeli sub carne Deum, atque adorant
Carne vestitum dominum eminenti in
Culmine honorum,
Omnibus rebus facile imperantem,
Et pium cœtum moderantem amicâ
Fronte, quâ cœlum, pelagique vastos
Comprimit æstus.

Namque si Christi caro non fuisset,
Solvere exactum precium haud valeret:
Ergò maiestas latitans facello
Præstitit istud

Corporis veri. neque phasma corpus:
Ipse dependit Deus, idem homoque,
Cum daret semet crucis immolandum
Agnus in arâ.

Fecit

Fecit hoc totum obsequium in parentis,
Commodum & nostri: meruitque letho
Eveli fastigia ad altiora

Victor honorum.

Hinc triumphantis ducis insequuta
Vox, mihi concessa homini potestas
Summa in astrorum decora, incolasque

Diuitis orbis.

Serviant omnes homini, Deoque,
Quotquot in terris pelagoque, mortem
Victor evasi, Stygioque adempta

Præda tyranno.

Parta sunt amplissima dona, parta
Vita, pax, & iustitiæ tropæum:
Iam favet cœlum miseris, fideles

Excipit æther,

Gratiæ quos pura fames adurit,
Quos metus lethi, scelerumque moles
Urget oppressos, cuperentque scribi

Sedibus aureis.

Dives à cœlesti epulum apparatus,
Persico luxu velut ordinatum:
Advolent omnes, nisi fortè egentem

Culpa retardet.

In Sacramento quod & ordinavit
Maximus, corpus datur, atque sanguis
Haustus in culpæ veniam expiandæ

Morte Iehovæ.

Fecit

D 2

Tantus

Tantus heic, quantus specie sub unâ
Agnus offertur sacer immolatus:
Nec tamen vino, tenuique crustâ
Inclusus habetur.

Quid canam? multi in dubium vocantes,
Anxiè inquirunt ut adesse possit
Omnibus corpus, simul atque sumi
Sanguis ab ore?

Desine o mortalis homo reposita
Sensibus rimarier: explicare
Tanta nemo oracula, nemo causas
Reddet apertas.

Cogit hoc nos credere veritatis
Os sacrum, immotum eloquium, neque unquam
Diva maiestas homines fefellit
Vera docendo.

Nos idem corpus numero fatemur
Porrigi in templis, simul atque eodem
Tempore, evincunt manifesta Christi
Verba disertè.

Indigent omnes epulo, professi
Quotquot æterni sacra signa Christi.
Veritas verborum eadem eloquuta
Poscit id ipsum.

Sufficit nos scire, licet negatum,
Quo modo hoc fiat, velut usque ad unguem
Sensibus perquirere, tantum agendum
Vtile quid sit.

Ordi.

Ordinat Christus medicamen : hocce
Quærat adfectus malè , cœlicamque
Hauriat vitam : licet hæc ferantur

Ordine retro,

Et supra sensus aciemque mentis.
Et valet præstare Deus, quod ipse
Dixit in verbo, & caro in unitatem

Adscita perennem

Sancta personæ. modò collocato
Hanc, ut edixit, poteritne multis
Hæc locis præsens simul esse, quid ni? huic

Summa facultas.

Ipsa maiestas hominis, Deique
Ampla convincit, quod adesse possit,
Quo loco semet Deus obligavit

Lumine verbi.

Subiacet nec diva caro Iehovæ
Motibus mundi: siquidem immoratur
Nexa personâ : neque separatur

Legibus ullis.

Sic caro finita Dei suapte
Creditor vi, verbo: tamen illigata
Haud loco conclusa tenetur, extra

Tempora fertur,

Et locum, hoc persona facit. docemur,
Hoc Deum præstare morâ sine ullâ
Pluribus, multisque locis, ut adsit,

Credite Christo,

subit

D 3

Tempo

Temporis puncto caro gloriosa.
Ipse dat causam : quia vult , & idem
Dixit in coena Deus ad futurum

Corpore divo,
Rem velis cognoscere? dicam aperte,
Accipe exemplum , penetrat magistri
Vna vox plebis semel eloquuta

Mille per aures.
Tota sic in corpore , & universis
Præfidet membris anima una : motum
Sufficit, sensusque animando, molem

Sustinet omnem.
Huius atque essentia fusa in omnes
Labitur vel particulas : nihilque
Linqvit immune, aut vacuum, ipsa tota

Mole pererrat.
Quæris ut fiat? similem ordinavit
Rebus his mundi effigiem Iehova,
Numinis parvam speciem exprimentem

Corpore nostro,
Hoc fit in nobis, animaque nostra,
Et Deum non corpore posse divo
Factum idem exercere negabis ipsum

Cuncta foventem?
Mille quin sumunt hominum , daturque
Singulis corpus preciosum in usum.
Os premas : linguam moderare, ut æquom est

Rebus in istis.
Tutius

Tutius multò facies, Iehovæ
Si fidem abstrusis adhibes negocij
Rebus, & captum super ingenique
Regna locatis.

Ergo cùm sancitum epulum sagina
Spiritus credatur, & ægra mens se
Roboret, mensam hanc veneremur (æquum est)
Pectore grato.

Diues & se vis, & amoris ingens
Prodit argumentum epulo hoc, necessum est,
Ut Deus præfens velit esse, coram &
Tradere corpus

Pane sub, vinoque suum cruorem
Abditâ prorsus ratione. Tanta
Dona non in sensum oculosque currunt,
Hauista tenaci

Sed fide immigrant, animosque pascunt,
Signa sic nostræ precium salutis
Applicant certo: neque enim hoc remotum
Longius esse

Et super cœli nitidos recessus
Credimus. coram Deus adfuturum
Ipse promisit, potis & dare ipsum
Nobile corpus.

Sanguinem atque una. licet heïc reclamet
Rebus in tantis ratio: occinamus
Sola vox palmam obtineat Iehovæ
Vera loquentis

Spiri.

Spiritus divâ refici saginâ
Noster exultat: velut ipsa membra
Flagitant panem benè nutrientem &
Nectaris haustum.

Haud secus cæleste epulum sub istis
Abditum signis hominum exhibetur
Cuilibet, siue annuerit Iehovæ

Vera loquuto:
Sive non credat, manet esca. namque
Integer Christus capitur stupendo
More, non absimitur, in fidelis

Corde receptus.
Totus heïc inquam esse suum ministrat
Abditum, immortale, cibusque divus
In sui transformat edentem, & huius
Alterat esse.

Vertit in naturam epuli immanentem,
Huius & formam recipit, suoque
Redditur regi similis, vigoremque
Haurit ab illo.

Nemo fit membrum, nisi corporetur
Mystico hoc pastu, capiatque Christum
Integrum curto fidei sacello.

Arcula namque ꝑ
Est fides tanti precij, atque acerra,
Semet hæc intra rapit, occulitque
Divitem thesaurum, Arabum vel auro
Nobiliorem.

Ergo

Ergò sit fixum, Deus ipse vita
Quo saginamur miseri, Deusque
Copulat nosmet sibi sempiterno
Fœdere in unum.

Cœna præcedat sacra, mystica atque
Ore quæ commestio fit, sequetur
Si fides in te modo spiritualis
Ordine pulchro.

Tunc in ipsius Domini (stupendum hoc)
Vertimur naturam homines, amico
Iungimur nexu, fit & unum in ipso
Quidquid habemus.

Inferit plantas sibi, corporisque
Glutinat nos fœdere membra, cœlo
Depluit robur, quotiens adimus
Pabula vitæ.

Symbolon nonne hoc bonitatis amplum
In creaturam fragilem? decebat
Gratias nos solvere pro Iehovæ
Divite gaza.

Nam Dei quantò preciosorem
Dixeris cœnam, paritura tantò
Maius hæc commestio pondus in te
Lætitiarum.

Inde totum ipsum capimus, sed ore
Et fide Christum pia mens præhendit:
Vivum & immortale epulum hocce nunquam
Absumitur ore.

E

Et

Et Deus præfens modo inexplicando,
Hospes & coeleste epulum, atque manna,
Mane quam nubes vitreum pluebant
Solis ad ortum.

Percipis dico ore Dei Iehovæ
Corpus immortale, fide ac tenaci,
Sensus at panem notat, intuendo
Symbola tantum.

Docta mens verbo potiora credit,
Respicit tantum quod & os loquutum est
Numinis, totum capit, atque Christum
Sede recondit

Spiritus lustratâ animæ, fit unum
Cum cibo, abstrusâ ratione mutat
In sui naturam epulum, alteratque
Pectora nostra.

Diva quid mysteria cogitando
Longius cantem? superant acutum
Omnium sensum, ingeniique vincunt
Debile lumen.

In Dei verbo juvat immorari,
Et fidem immotam huic adhibere. nemo
Fallitur, si cedat, & adquiescat
Ore Iehovæ.

Christe tu dicis mihi te daturum
Sanguinem in vino: quid agam? reclamem?
Non: tenax sermo, tua veritatis
Regula constat.

Ad

Ad preces verto, Miserere nostri
Tu decus cœli, fideique lumen
Mitte de cœlo, capiamus ut te
Mente fideli.

Legis & voces acue intonantis,
Et metum saltem incute, quanta & iræ
Vis sit, agnoscamus & execremur
Omnia dictu

Fœda & auditu vicia: atque nosmet
Intus exploremus ad æquilibrium,
Tunc pavor nos corripiet metusque &
Mille dolores.

Turpium nos pœniteat malorum,
Tœdeat sanctum temerasse numen,
Sensum & adfectum & malè cogitata
Qualibet horâ.

Ante te quom divum epulum petamus
Nosmet accusemus, & arguamus
Nequam, & æternum meritos Averni
Sulphur & ignes.

Sic adornati veniemus Agni
Regiam ad mensam benè comiti, & intus:
Sicque cœlesti dape perfruemur
Mente paratâ.

Christe te nunc carminibus seorsim
Alloquor me lumine præparato,
Cœlitus misso, dato pœnitendi
Seria vota.

Intus adflato quotiens adesse
Contigit divino epulo, precabor
Compotem me corporis & cruoris
Effice vatem.

Os sacram Christi excipiat saginam,
Intus & mens hauriat hospitalem
Hunc cibum, me temet in ipsum egentem
Verte Iehova

Lucis æternæ, superam & coronæ
Tu dato consuescere, civiumque
Gaudii cum concilio perenneis
Carpere fructus.

Aetheris me lætitijs adesse
Credo, quom conviva vocor, calore
Liquitur mens præ nimio: hancce coenam
Quando reviso

Sanctum & augustum hoc epulum, rogabo,
Aegra si mens nostra labat, vel ipsa
Spes, fidesque, attolle super misellum
Aetheris arces.

Septa peccando licet extra aberrem
Inscius pacti, violenve legem,
Sis bonus: culpæ veniam imputando
Dexter adesto.

Vsque condona, vitium occulendo,
Et cruce exerce nimium insolenteis
Impetus carnis: novus enitescam,
Divite pastu.

Hoc

Hoc saginatus. veneremur ergo
Regiam hanc coenam quotiens ad aram
Cernui prosternimur, atque divam
Poscimus escam.

Sumta namque hæc coena facit, Iehova
Ut sit in nobis, habitetue, nos &
Simus in Christo, cocantque in unum
Viscera corpus.

Sufficit sic sola fides, & haurit
Sola tam sublime epulum, innovando
In sui transmutat & esse, quotquot
Pascimur Agno.

Verba tu coenæ inviolata serua
Ipsè testator, Deus ordinator
Christe, nec permittite epuli interire
Aurea pacta.

Detrahant omnem furia insolentes
Vim tibi divam omnipotentis auræ,
Nos decus contra imperii evehamus
Carmine puro.

Ad Capræ montem malè sentientem
Alterum atque unum melius doceto,
Lumen his mitte: incipiant sereno
Ludere cantu

Te Deum, æternum vereantur unum,
Obloqui mittant malè veritati,
Plus Dei, quam verba hominum æstimantes
Pectore versi.

F I N I S.

ELEGIA
DE SACROSANCTA
DN. N. IESV CHRISTI COENA

Apologetica in Berengarios.



Maxima de cœnâ dissentio Christe coërta,
Quam moriens sancis supplicium ante
tuum.
Sunt etenim in dubium revocet tua verba
Atq; alio sensu hæc accipienda velint. (Iehova,
Scilicet hos fatuæ deludit opinio mentis,
Quos sapere in tantis nil nisi vana juvat.
Non etenim ad divam referunt sua sensa bilancem,
Relligio his verbis Christi adhibere fidem.
Cernimus iccirco hos varias conflare Chimeras,
Neuter & alterius pendet ab arbitrio.
Quæ causa? ut simplex est veri oratio; sensu
Sic etiam gaudet simpliciore coli.
Respuit ornatus, verba immutataque, falso
Lumine crede Deus non rationis eget.
Quæ testamenti ratio sit, constat: aperta
Omnia sint, legum regula sana jubet.
Nil insit prohibet perplexum, aliudve repostum,
Quod causam litis materiamque serat.
Et testatorem sapienti mente requirit,
Cui studium veri, cuius in ore fides.
Quive sit egregiæ famæ, & spectator honesti,
Et cui laudato vita peracta modo.
Adsint & testes sancti, instrumenta, sigilla,
Hæredi caveant quæ bona, & edoceant.

Supremum imponat rebus mors denique finem,
Hæc testamentum nuncupat esse ratum.
Nunquid & in cœna Christum observasse negemus
Talia, quæ legum postulat ordo, suâ?
Ille novi leges condebat foederis auctor,
Sanguine firmavit quas moriturus herus.
Quale sed hoc dicas? tu singula mente repone,
Et magnum verbis pondus inesse scias.
Conditor ille tuus, vitæ & melioris origo,
Hic testamenti vult rata verba sui.
Ante polo flammæ absiliant, prius ima dehiscat
Terra, Dei quam vox ulla sit absque fide.
Et dubitamus adhuc miseri tam lumine claro,
Quidnam verborum vis sibi aperta velint?
Nam quoniam avulsos nos devius error agebat,
Et succensa reos ira premebat heri:
Constitit in medio soboles, mediumque sacrando,
Nos studuit patri conciliare suo.
Sanguis & iste meus, quem fundo, pignus amoris:
Fiet & irati mollior ira Dei.
Hostia nam delecta patris scelus omne piabo
Vestrum ego mortales, nil dubitetis, ait.
Offero me totum in precium, sacer ipse sacerdos,
Thura feram, & peragam dulce salutis opus.
Nec rata Scripturâ legimus nos teste fuisse
Foedera, ni caderet victima cœsa manu.
Ergo sacerdotem quom desperata requirat
Res hominum qui se pro grege dedat, adest.
Pecto-

Pectoribus nostris huius suprema voluntas
Hæreat, & placeant ultima verba Dei.
Qualia sunt inquis? cum iam moriturus Iesus,
Atque instare necis senserat exsequias:
Accubuit mensæ patrio de more sub ipso
Vespere; principium hic Paschatos unus erat.
Namque diem in Veneris festum sollemne cadebat,
Quod lux posterior vidit honore coli.
Iamq; epulo perfuncti omnes cum ritibus agni.
Inque viatoris lege monente habitu:
Ipse novum instituit quoddam & memorabile fœdus
Servandum extremæ lucis ad usque iubar.
Inque manus sumens panem de more sacravit,
Pro dono & solvit debita vota patri.
Post hæc distribuens fractum partitur in omneis,
Addidit & magno grandia verba sono.
Accipite ô locii, sacratum absomite panem,
Corpus & hoc inquit, nec dubitate meum est.
Corpus & ipsum adeò, quod cras ego victima pendâ
In precium vestri, victus amore, boni.
Hoc facite, & nostri pignus servetis amoris:
An non expressit mentem, animumq; Deus?
Sic calicem apprædens impletum nectare viui,
Sacravitque prius quàm daret in numerum.
Dixit, & ex hoc omnes bibite ô mea viscera poclo,
Sanguis & hic verè est, nec dubitate, meus.
Fœdus in hocce novum pango Deus, atq; Sacerdos,
Non aliàs fiet mollior ira Dei,
Sanguine

Sanguine maectati scelus omne piabitur agni,
Agnus ego vester crimina cuncta luam.
Pendentem infami cruce me lugebitis omnes,
Maectite forti animo, victima sancta cado.
Morte mea reparanda salus, & sanguine fuso
Restituam a lethi limine vos homines.
Vos nostrum quotiens hibitis cratere cruorem,
Pro meritis grates persolvisse decet.
Funeris & memores revocate in pectore foedus,
Quod pepigi antistes vester, & ipse vades.
Gaudia sic animo venient optata: peribunt
Omnia maestitiam quae paritura gravem.
Foederis haec summa est, instrumentique Iehovae:
Insisto verbis, divaque sensa sequor.
Quaeritur an praesens in coena corpus Iesu?
Et cum pane simul detur in ipso epulo hoc?
Tu sacramentum dicis: non pernego: recte:
Sed non definis, quid sibi verba velint.
Si Sacramentum est, elementum quaeritur, & res,
Quod signet, si res absit, id omne nihil:
Res mihi corpus erit Domini, sanguisque Iehovae,
Copulet has signis unio voce Dei.
Sanctio diversas nexum res iungat in vnum,
Sanctio quae pendet voce profecta Dei.
Haec facit, ut coeat corpus cum pane sub uno
Tempore, cum peragit sacra minister heri.
Unio tamque diu veneranda existit in usu,
Accipiat donec pabula diva miser.

F

Signa

Signa neque absentis nos corporis esse fatemur,
Nec verè signum nobile panis erit.
Externum est elemētum, instrumentumq; quod ipsi
Applicat hæredi, quod sacra verba iubent.
Nam si corpus adest præsens, cur signat id ipsum
Panis? nil tropus heic, ambiguumque valent.
Nec dixit Christus, panis, quem cernitis, iste
Corporis est signum: cedite spermologi.
Hoc, de pane loquens, est corpus: copulat una
EST duo, definit corpus id esse Dei.
Quale sit urgetis? quod defero victima leto,
Christus ait, quo nil verius eloquio.
Sed non admittit ratio. sic garrit acumen,
Quid ni? sic Deus haud te duce verus homo?
Verùm alia est ratio, respondes, unio rectè
Hoc personalis significata modo.
At Sacramento, quam nos defendimus ipsi
Convenit: hæc patribus unio dicta piis.
Flagitat & nexum res ipsas unio coram,
Diversæ quamvis conditionis erunt.
Unum etenim terrenum, aliud cœleste: sed ista
Vox Sacramenti copulat una Dei.
Sic docuere patres, nos observare minores
Proderit ista, licet respuat hæc ratio.
Re donant ipsa dicis, quod signa notârunt:
Audio: sed quod dat dextera, læva rapit.
Corporis absentis poteruntne hæc signa reapse
Præstare? edoceas: credulus haud ego sum.

Audio

Hoc

Hoc est corpus ait, non signum, noster IESVS,
Me circum ambages ludis amice tuas.
Inspice Paulum ipsum, divinaque verba tonantis,
Iudicium & melius, qui modò talpa, feres.
Nulli hominum indignè cedet hæc signa, sed ipsum
Ni benè discernas, nobile corpus erit.
Signa quidè non robur habent tua nuda, neq; unquã
Ob signum pœnas suppliciumque luis.
Sed quia non corpus benè se crevère Iehovæ
A reliquo ingluvie perdita turba cibo:
Iudicium iccirco sibi conflavère severum;
Defuit his, vehimur quã super astra, fides.
Sic quia non verè se exploravère tribunal
Ante Dei, cuius iudicium acre fatis:
Attraxère sibi pœnas, morbisque perempti
Ante diem meritis occubuère suis.
Symbola non igitur lethum inflixère timendum,
Corporis exitio his turpis abusus erat.
Nunquid & a mensâ Domini exclusurus ludam?
Quem mens decepit victa cupidinibus?
Corpus idem sumsit, quod & accepère sodales,
Diversâ capiunt sed ratione cibum.
Profuit undenis divina alimonia vitæ:
Exicio ludæ nobilis esca fuit.
Languida sic hominis Beryllus pectora firmat:
Enecat immundam gemma vorata suam.
At capitur cœli, sic nobis occinis, aulâ
Christus & optato clauditur Elysio?

Audio: pervertis Lucae verba aurea turbo,
Non capitur coelis qui dominatur, herus.
Victor enim euectus super alta volumina, & huius
Omnibus effulget gloria diva locis.
Dic vbi dextra patris? nonne illa potentia summa,
Ad quam subiecta est glorificata caro?
Ut semel in nexum personae adscita perennem;
Sic manet aeternum confociata Deo.
Corpore sic vbi vult, existens fertur ubique,
Maiestas praesens & deitate sua.
Sonnus adfirmat, neque carcere degit opaco,
Personam spectes si modo, diva caro.
Mirandoque modo in templo divina triumphat
Haec persona, aciem supra hominum ista cadunt
Et leve corpus erat, premeret maria alta volando,
Contendit vario Sonnus ingenio.
Credite vos Christo solium omnipotentis habenti,
Qui coelis factus maior, & astra regit.
Quin natura super coelos humana triumphat,
In personam etenim gaudet adesse sua.
Prothea nec Christum variantem corpus in horas
Fingimus: haec vestri somnia sunt cerebri.
Et penetrasse fores, molem impositamque sepulchro
Credidit Hipponam praesul in urbe sacer.
Atque eadem docuere patres, cum linqeret urnam,
Corpore in illustri conspiciendus homo.
Nonne creatori cedant elementa potenti?
Quid ni: nec Protheus corpore versus erat.
Non

Non etenim in tygrim mutatus, & ora leonis,
Naturam retinet, quæ fuit antè, suam.
Non opns huic nitido labatur ut æthere, ceu vos
Luditis: humanis non eget ille modis.
Subdita sunt illi quæcunque sub aëre vivunt,
Seu terrâ, & vasto quicquid in Oceano.
Tûne creatori leges fixurus, ut ille
Commodet ad fatuum, sentis ut, ingenium?
Pulvis es: in cineres mutabere, desine cristas
Tollere, vel bardum mitte supercilium.
Vnio, nec panis mutatio, sive sacрати
Corporis ut garris creditur hocce loco.
Nec latet in crustâ Domini venerabile corpus,
Sive mero inclusus dicitur esse cruor.
Transmeat in corpus nunquam substantia panis,
Naturam adservat res sociata suam.
Nullaque res aliam immigrans formam exiit omnè
Naturâ perstans inviolata suâ.
Sonnus obgannit, vel promississe Iehovam
Tale, quod in cœnâ corpore adesse velit.
Velle Deum evincunt illustria dicta: facultas
Hoc dare pollicitus, quod Deus ore, valet.
Si dixit, faciet: cur Maiestatis honorem
Detrahis? & numen fingis inane Dei?
Sonnus ipse sibi certat, seque implicat amens
Posse Deum, quod vult grandia verba docent.
Mandere cur corpus, cur te potare cruorem
Ore iubet, si non te capere ista velit?

Egregium inventum est manifestam eludere vocem
Numinis, & dictis non adhibere fidem.
Improba quò tandem evadet fiducia linguæ?
Anne aliquid credam hunc mentis habere? nego.
At non Augusto conclusum corpore verbum,
Inquis, & existit quò velit ipse suo?
Si vult, cur prohibes? cur maiestatis honorem
Instar sacrilegi depecularis homo?
Existens ubi vult, dicis, sed corpore, rectè
Vult epulo hoc, cur tu corpus abesse negas?
Proprietas hominis, quò non ad surgere possim
Obstat, ais: ratio mancipium exagitat.
Perpulchro in Christo virtutes ordine constant
Impedit haud aliam, has mutuus ardor agit.
Quod si pollicitus dare se venerabile corpus
Cum pane, an non hoc maximus efficeret?
Ipse viam ignorem licet, explorare reposta
Grande nefas, si quæ consilia esse velit.
Si non metitur ratio, cur lumine cæco
Vteris, atque adytum rumpere turbo cupis?
Si persona velit præsens conferre, quod ipsa
Sancit in hoc epulo cælica dona suo:
Cur tibi Maiestas precium immortale negaret,
Per quod deformi morte redemptus ovas?
Vtraque iungenda est præscripta comestio, nempe
Mystica, quæ signis, perfruiturque bonis.
Hæc Sacramenti est, sequitur deinde altera, quando
Virtutem in nobis Spiritus ingenerat.

Vtraq;

Vtraque coniungenda simul. seiuncta nocebit
Mystica, si verâ destituere fide.
Hæc facit, ut corpus temet transmutet edentem,
Inque suum rapiat nobilis esse caro.
Vivificusque Dei sanguis præstabit eundem
Effectum, si mens nobilitata fide.
Non iubeo temet transcendere mente volando
Sidera, & absentis quærere corpus ibi.
Corpus ubi invenies sublime per omnia vectum,
Seu carnem, si non vox tibi certa Dei?
Infers argutè, & fidei præsentia dicis
Disita sint quamvis, invenienda loco.
An certò tibi sunt mysteria tanta reclusa?
Nunquid ab adflatu numinis hausta tenes?
Me verbum edoceat potius: verbum aurea fax est,
Hæc certum ambiguo tramite monstrat iter.
Perbellum simile est, quo sensum exponere coenæ
Nititur argutis Dædala Musa modis.
Porricit ut radios Phœbus duodena vagando
Signa per, & nullâ mole fatigat humum:
Corporis absentis virtus sic fusâ per omnes
Credentes animos, vivificare potest.
Perlepidum inventum est, sed quo doctore? retundor
Maiestate gravi numinis ipse miser.
Me Deus ad coenam & sanctissima verba relégit:
Nec mihi quid ratio dictat, amare vacat.
Me iubet amplecti veneranda effata Iehova,
Signaque quæ sancit carpere diva epulo.

epist. V

Vlterius

Vlterius prodire nefas. hæc summa; Iehovæ
Sit mihi præscriptum tranfiluisse nefas.
Plura locuturus: calamum eripit aurea cœlo
Missa coronato Calliopæa. Vale.

F I N I S.

D. Lutherus in Ecclesiasten præclarè. Sic Christus quoq̃ extra locum est, contra eos, qui captivant ipsum loco: cum tamen ubique sit. Neque enim verbum Dei segregatur à carne. Vbi Deus est, ibi & caro Christi est: Sed Deus est ubique, ergò Christus quoque ubique est. Hæc magnus religionis instaurator. Abs huius viri sententiã si quid in meis Odis contrarium inveneris, quod tamen nullo modo concessero, infertum dicam. Bene vale.

Deo vni trinoque ter maximo gloria.







HL 3343^a

ULB Halle

3

001 522 795



VD 17







12

LVCULENTVM.
DE SACRO
SANCTA DOMI
ni nostri Iesu Christi coena
Odarion.
SVBIECTA EST EIVS-
dem argumenti, & rarioris texturae ele-
gia modesta, & concinna Berenga-
riorum nebulas discutiens.
Industria & labore.
IOHANNIS FRAXINEI
Tyrigenae, Poetae Coronati
Caesarei.
MAGDEBURGI
Excudebat Andreas Duncker,
M. D. XC VII.

622368

